



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCIV. Quomodo Angelus seipsum cognoscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

QVÆSTIO LVI.

De cognitione Angelorum ex parte rerum
immaterialium.

DEinde quæritur de cognitione Angelorum ex parte rerum, quas cognoscunt. Et primo de cognitione rerum immaterialium. Secundo de cognitione rerum materialium.

Circaprimum quæruntur tria.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus cognoscat seipsum.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Angelus seipsum non cognoscat. Dicit enim Dionysius. 6. cap. Eccles. Hierarc. quod angeli ignorant proprias virtutes. Cognita autem substantia cognoscitur virtus, Ergo Angelus non cognoscit suam essentiam.

2. Præterea. Angelus est quædam substantia singularis, alioquin non ageret, cum actus sint singularium substantiarum. Sed nullum singulare est intelligibile. Ergo non potest intelligi. Et ita cum angelo non adsit, nisi intellectiva cognitio, non poterit aliquis Angelus cognoscere seipsum.

3. Præterea. Intellectus mouetur ab intelligibili: quia intelligere est quoddam pati, ut dicitur in 3. de anima. Sed nihil mouetur, aut patitur à seipso, ut in rebus corporalibus apparet. Ergo angelus non potest intelligere seipsum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super Genes. ad lit. lib. 2. quod angelus in ipsa sua confirmatione, hoc est in illustratione veritatis, cognouit seipsum.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, obiectum aliter se habet in actione, quæ manet in agente, & in actione, quæ transit in aliquid exterius. Nam in actione, quæ transit in aliquid exterius, obiectum siue materia, in quam transit actus, est separata ab agente, sicut calefactum à calefaciente, & ædificatum ab ædificante. Sed in actione, qua manet in agente, oportet ad hoc, quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti, sicut oportet, quod sensibile vniatur sensui ad hoc, quod sentiat actum, & ita se habet obiectum vnitum potentia ad huiusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus. Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo. Sed considerandum est, quod huiusmodi species obiecti quandoque est in poten-

tia tantum in cognoscitiua virtute: & tunc est cognoscens in potentia tantum. Et ad hoc, quod actu cognoscat, requiritur, quod potentia cognoscitiua reducat in actum speciei. Si autem semper eam actu habeat, nihilominus per eam cognoscere potest absque aliqua mutatione vel receptione præcedenti. Ex quo patet, quod moueri ab obiecto non est de ratione cognoscentis in quantum est cognoscens, sed in quantum est potentia cognoscens. Nihil autem differt ad hoc, quod forma sit principium actionis, quod ipsa forma sit aliquando inhærens, & quod sit per se subsistens. Non enim minus calor calefaceret, si esset per se subsistens, quam calefacit inhærens. Sic igitur etsi aliquid in genere intelligibilem se habeat, ut forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum. Angelus autem cum sit immaterialis, est quædam forma subsistens, & per hoc intelligibilis actu. Vnde sequitur, quod per suam formam, quæ est sua substantia, seipsum intelligat.

Ad primum ergo dicendum, quod littera illa est antiquæ translationis, quæ corrigitur per nouam, in qua dicitur. Præterea, & ipsos, scilicet Angelos cognouisse proprias virtutes. Loco cuius habebatur in alia translatione, & adhuc eos ignorare proprias virtutes. Quamuis etiam littera antiquæ translationis saluari possit, quantum ad hoc, quod angeli non perfecte cognoscunt suam virtutem secundum quod procedit ab ordine diuinæ sapientiæ: qui est angelis incomprehensibilis.

Ad secundum dicendum, quod singularium, quæ sunt in rebus corporalibus, non est intellectus apud nos, non ratione singularitates, sed ratione materiæ, quæ est in eis indiuiduationis principium. Vnde si aliqua singularia sunt, sine materia substantia, sicut sunt angeli, illa nihil prohibet intelligibilia esse actu.

Ad tertium dicendum, quod moueri & pati conuenit intellectui, secundum quod est in potentia. Vnde non habet locum in intellectu angelico, maxime quantum ad hoc, quod intelligit seipsum. Actio etiam intellectus non est eiusdem rationis cum actione, quæ in corporalibus inuenitur in aliam materiā transcurrente.

Conclusio est, Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam.

DISPUTATIO CCIV.

Quomodo Angelus seipsum cognoscat,

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 1.

Angeliam

Angelum seipsum intelligere per suam essentiam; verior sententia est, sed non eodem modo ab omnibus intellectibus, cap. 2.

CAPVT I.

Opinio Scoti & aliorum.

IN præsentī controuersia nulla difficultas est, an Angelus seipsum intelligat. Quis enim seipsum ignoret? neque dubitatio aliqua est, an cognitio, qua Angelus seipsum cognoscit, sit operatio distincta à substantia Angeli, de hoc enim iam supra tractatum est disput. 198. Quæstio igitur præsens posita est in explicando modo, quo Angelus habet sui ipsius cognitionem, utrum videlicet species aut qualitas addita intellectui sit principium cognitionis sui ipsius, an suamet substantia moueat intellectum absque aliqua specie sui.

In qua difficultate prima sententia sit Scoti in 2. dist. 3. q. 10. §. Ad questionem in fine, qui asserit, duobus modis Angelum seipsum cognoscere, primum notitia, quam vocant intuitiuam rei, sicuti est: & hoc modo per suamet essentiam seipsum intelligere alia specie intelligibili sui ipsius: deinde notitia, quam appellant abstractiuam, quæ est inferior quædam cognitio, & hoc pacto seipsum cognoscere per speciem quandam intelligibilem additam suo intellectui. Idem docent Maior eadem dist. 3. quest. 4. conclus. unica, & in solutione 3. argum. Bassolis quest. 3. ad 2. argum. Et videtur consentire Gabriel. eadem dist. 3. quest. 2. art. 3. conclus. 10. qui cum Scoto quest. 8. illius distinctionis inquit, Angelum seipsum intelligere per suam essentiam: intelligit de notitia, quam vocant intuitiuam.

Priorem partem huius opinionis nempe posse Angelum seipsum cognoscere per suam essentiam notitia illa intuitiuam, relinquit Scotus ut notam & manifestam. Posteriolem vero, videlicet posse etiam Angelum se intelligere notitia illa abstractiuam, & per speciem, quæ difficilior est, probat hac ratione: omnis cognitio ex suo genere imperfecta; quæ conuenit superiori Angelo, potest etiam inferiori conuenire: Nam quæ ratio esse potest, ut superiori, qui perfectior est, conueniat cognitio imperfecta: inferiori autem non conueniat; sed Angelus superior cognoscere potest, imo cognoscit inferiorem per speciem illius, & cognitione abstractiuam, ut constat: ergo & inferior hoc etiam modo seipsum cognoscit. Quod si quæras, ad quid requiritur species ipsius in Angelo, cum ipse sibi intime præsens sit: Respondet Bassolis, dari speciem propter notitiam illam abstractiuam & imperfectam.

Verum omitta hac opinione, quod attinet ad priorem partem illius, de qua inferius dicendum est, quod ad posteriorem attinet, mihi non probatur. Nam vel cognitio abstractiuam dicitur ab Scoto notitia rei per alienas species, qualis esse solet cum rem aliquam instar alterius cognoscimus, & non sicuti est: aut dicitur abstractiuam notitia rei non existentis, etiam si sit per propriam speciem & conceptum, qualis est notitia Rosæ in Hyeme: neutro autem modo Angelus potest seipsum intelligere notitia abstractiuam. Non priori modo, quia Angelus non cognoscit, seipsum per species & conceptus aliarum rerum, hoc est, non cognoscit se instar aliarum rerum, sicut nos spiritualia instar corporalium rerum concipimus: siquidem

Angelus non cognoscit se abstractiuam cognitione

ARTIC. I.

propriam, & quidditatum sui conceptum habet; neque se effingit admodum alicuius alterius rei; si enim se non cognosceret proprio, & quidditatio conceptu, non posset quidquam aliud ita intelligere. Non posteriori modo, nam cum seipsum intelligit, non tantum intelligit secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam: neque potest ita se considerare, ut absque existentia sua seipsum intelligat: Doctores quidem huius sententiae hoc posteriori modo videtur concedere in Angelo notitiam sui abstractiuam, per propriam tamen speciem. Nam quis diceret, Angelum se intelligere per species, & conceptus aliarum rerum? Verum ratione præcedenti huius probatum est, neque hoc modo posse Angelum habere notitiam sui abstractiuam: quia existentia propria adeo manifesta sibi est, ut nulla notitia possit Angelus absque illa seipsum considerare.

Dicit tamen aliquis, nihil obstat, quo minus Angelus habeat notitiam abstractiuam sui simul cum notitia intuitiuam, sicut Beati cognoscunt res omnes creatas notitia propria, & quidditativa, hoc est, per proprias species, & conceptus, & notitia simul abstractiuam, hoc est, per alias species, & instar aliarum rerum. Respondeo, in hoc non esse diuersam rationem: quia cum ille minister sensuum accipiat species, per quas omnia intelligit; & has retineat tanquam propriam suam opus in beatitudine, per eas intelligit, etiam à Deo communicetur illi cognitio rerum quidditativa per species proprias rerum: Angelus vero, cum sua natura habeat notitiam sui propriam, non videtur, qua ratione eadem natura communicet ei intellectum illam imperfectam per alias species respectu eorum rerum, quas naturaliter per proprium conceptum cognoscit. Et quamuis concederemus, posse unum Angelum cognoscere alias res etiam spirituales per alienos conceptus dici tamen non posset, seipsum cognoscere instar alterius rei: cum sua natura seipsum perfecte, & quidditatio conceptu intelligit. Quare & auctores huius sententiae non conueniunt tribuere Angelo cognitionem hanc imperfectam seipsum, quam appellant abstractiuam, sed quidditativam & propriam, ita tamen, ut solum intelligat seipsum quoad essentiam, nullo modo considerata existentia sui; quod qua ratione fieri non queat, iam supra notauimus. Neutro igitur modo dicere possumus Angelum seipsum cognoscere notitia abstractiuam; atque adeo ad hunc effectum necesse non est speciem intelligibilem sui ipsi concedere.

CAPVT II.

Angelum seipsum intelligere per suam essentiam, verior sententia est, sed non eodem modo ab omnibus intellectibus.

COMMUNIS sententia apud Scholasticos est, Angelum seipsum intelligere per suam essentiam absque vlla alia specie addita, ut principio intelligendi. Ita docent cum S. Thomas in hanc artic. Caietan. & recentiores Thomistæ, & alij. Sanctus Doctor eodem lib. contra gentes. cap. 91. §. Item. S. Thomas ibidem §. Quantum ad secundum, & sequentibus. Ricardus in 2. dist. 3. art. 6. quest. 1. Thomas de 4. gent. §. 1. ibidem §. 2. dist. 3. art. 6. quest. 1. articulo 1. conclus. 1. Capreolus questione 3. articulo primo, conclus. 1. Henricus etiam quolib. primo, questione 1. cap.

cum asserit, animam separatam intelligere per suam essentiam absque alia specie, de Angelis vero, & de creaturis separatim a materia in vniuersum idem docuit quodlib. 4. quæst. 7. quod vero quodlib. 5. quæst. 14. dixit, Angelos cognoscere per vnum quendam habitum additum potentie in eligitis respectu aliorum obiectorum, quæ extra Angelum sunt. Quo circa falso putauit Scotus loco allegato, Henricum in ea fuisse sententiam, ut assereret, Angelum non posse seipsum intelligere sine habitu quodam addito facultati intelligenti: cum reuera Henricus solum dixerit, necessarium esse habitum ad intelligenda alia obiecta, non autem seipsum, ut ex locis superius allegatis manifestè liquet. Postremo hanc sententiam quam hactenus retulimus, supponere videtur ut notam, Bonauent. in 2. distinct. 3. par. 2. distinct. artic. 2. quæst. 1. Ceterum eam non omnes eodem modo explicant.

Quidam ita intelligunt, ut Angeli substantia & essentia sit per se intelligibilis ab intellectu Angelico sine alia specie sui, non quia ipsa moueat efficienter ad eliciendam sui visionem, sicut species intelligibilis cum intellectu; sed quia intellectus Angelus, suapte natura sufficienter sit in actu primo ad eliciendam intellectiōem substantia, & essentia sui ipsius: substantia vero Angeli ex se sit sufficienter intelligibilis & præsens, ut terminet actum intellectiōis. Hic modus explicandi prædictam opinionem tribuitur communiter Caiet. sed meo iudicio non ita docuit; modum autem illius infra referemus. Ex hoc tamen, quem commemorauimus, sequitur necessarias non esse species intelligibiles ad intelligendum alia obiecta materialia, aut etiam spiritualia; sed intellectum de se potentem esse, & in actu primo ad intelligendum omnia intelligibilia: nam cum res omnes ex se intelligibiles sint ab intellectu Angelico, hoc est, ex se habeant rationem obiecti, sicut habet ipsa essentia Angeli respectu intellectus eiusdem Angeli: nihil obitare videtur, quominus sine specie sui intelligatur ab Angelo, si essentia ipsius Angeli ab eo re & intelligitur, siquidem essentia Angeli, quæ est obiectum intelligibile, secundum hanc opinionem non cõcurrit cum potentia villo modo per modum principij. Quod vero reliqua obiecta coniuncta non sint cum intellectu Angeli, parum obest: siquidem coniunctio secundum locum, vel quæcumque alia coniunctio obiecti cum potentia, ad hoc solum videtur necessaria, ut obiectum potentia concurrat per modum principij ad intellectiōem. Quare in hac opinione solum illud mihi non probatur, quod ait, ideo essentiam Angeli quæ ex se intelligibilis est, ab ipso Angelo cognosci, quia præsens & coniuncta est intellectui; quasi præsentia illa aliquid conducatur, semel concessio obiectum non concurrere cum intellectu ad intellectiōem per modum principij. Id vero, quod ex ea sequi videtur, nempe non esse necessarias species aliarum rerum, ut ab Angelo intelligantur, ego non puto absurdum in Angelo, ut supra disp. 200. c. 3. notauimus. Quod si intellectus noster in hac vita intelligit essentiam animæ nostræ per species, mirum non est: quia modus intelligendi, qui nobis in hac vita conuenit, est adiumento & ministerio sensuum: & ideo egemus speciebus acceptis a sensibus ex rebus corporalibus, per quas spiritualia omnia, & animam nostram

Vasquez in 1. part. tom. II.

istam intelligimus instar rerum corporearum. Si vero à sensibus non penderet intellectus noster in modo intelligendi, substantiam animæ nostræ, & res alias sine speciebus intelligeret, sicut Angelus.

Alij vero alio modo prædictam sententiam explicant & defendunt. Dicunt igitur, ipsammet Angeli substantiam esse loco & vice speciei ad eliciendam intellectiōem per modum principij proximi, & non solum esse cõmunem causam eo modo, quoad alias operationes ipsius Angeli cõcurrit. Hunc modum philosophandi existimo fuisse Caiet. in hunc artic. Errat. 2. cont. gent. c. 98. §. Ad ent. *Ferrariensis* sententiam, quem prius docuerunt *Aegidius* in 2. dist. 3. *Argutus* par. 2. q. 2. art. 1. in corpore & epistula de cognitione Angelorum. q. 3. & *Capreol.* eadem d. q. 2. art. 3. ad argumenta contra quintam conclusionem, & communiter Thomistæ sequuntur. Ratio vero ipsorum vnica est huiusmodi, species ideo ponuntur loco obiectorum in potentia cognoscente, ut coniuncta cum facultate ipsa constituant vnum integrum principium eliciende intellectiōis: obiectum enim & potentia pariunt notitiam: eumque obiectum secundum se coniungi non possit facultati ordine naturæ, prouisum est, ut species in locum obiecti substituatur. Contra vero quando obiectum natura coniunctum est cum intellectu, frustra esset species; sed ipsum obiectum per se cum facultate ipsa potest esse principium cognitionis: ergo cum essentia Angeli, quæ ex se intelligibilis est naturaliter, sit coniuncta suo intellectui: absque alia specie ad sui cognitionem tanquã proximum & proprium principium naturaliter mouebit.

Hic modus philosophandi difficilis est. Cum enim essentia Angeli non sit forma quædam addita intellectui, sed substantialis forma, ex qua nascitur intellectus, quæ ratione fieri potest, ut ipsa sit forma determinans intellectum per modum proximi & proprii principij? Nam principium determinans ad hanc actionem debet esse in ipso intellectu. Potius igitur dicendum videtur, intellectum ex se determinatum esse, & ita ab essentia ut à prima radice moueri, ut in se completam habeat virtutem intelligendi ipsam essentiam, & Angeli substantiam. Simili ratione argumentatur Scotus contra hanc opinionem in 2. distinct. 3. q. illa 8. §. Contra, supponendo in hac sententia S. Thom. totum principium, quo Angelus seipsum intelligit, esse suam sententiam. Argumentatur vero hoc modo: ut aliquid sit principium operationis immanentis, debet esse actus facultatis elicientis illam operationem. Sed essentia Angeli non est actus intellectus, sed ei tantum assistit: Ergo non est principium talis intellectiōis: quæ est actio immanens. Assert exemplum caloris, qui nisi esset in ligno ut forma illius, sed ei solum assisteret, non posset esse ligno ratio & principium agendi.

Respondent nonnulli, essentiam Angeli posse considerari in genere rei, & in genere intelligibilis; in genere autem rei esse obiectum intellectus, & ita potius in illa esse intellectum, ut formam, quam ipsam in intellectu; at vero ratione intelligibilis essentiam esse in intellectu, sicut intelligibile in intelligente: & hac ratione esse principium proximum intellectiōis, saltem ex parte, si non potest esse totum principium: ac proinde nihil impedire, quo minus intellectus in essentia, &

V u rursus

rursus essentia in intellectu diuerso modo esse dicantur: atque intellectus, qui ex se indifferens principium ad omnia intelligibilia est, determinetur ad intellectionem essentia Angeli per ipsam tantquam per speciem & principium proximum talis intellectionis. Ita respondet Capreolus *art. illo citato in solutione primi contra quintam conclusionem & per-
tar. cap. illo & §. Allegata.* Deprompsisse autem videtur solutionem ex doctrina s. Thom. *quæst. 8. de veritate, art. 6. ad secundum.* Constituunt præterea Thomistæ discrimen inter formam naturalem ad operationem, qualis est calor, & formam intelligibilem ad intellectionem, ut argumto Scoti satisfaciunt, quod forma naturalis non determinat agens & facultatem ut principium proximum, nisi re ipsa inhaereat: formam autem intelligibilem determinat per hoc solum, quod assistat: quare si etiam constituitur potest intellectum in actu primo ad intelligendum eo modo, quo assentit nonnulli, essentiam diuinam per solam assistentiam supplere locum speciei, & proximi principij in Beatis ad sui visionem. Eodem igitur modo essentia angeli poterit esse principium. Atque (ut notauit Caietanus huc argumento respondens) eo præsertim essentia angeli, etiam si non inhaereat intellectui, potest esse Angelo principium proximum intelligendi seipsum, quod licet non inhaereat intellectui angeli, sicut formæ & species intelligibiles insunt, ei tamen substantialiter coniuncta est. Nec ab hac sententia abhorret Scotus, cum docet, Angelum seipsum intelligere notitia perfecta & intuitiva per suam ipsius essentiam tantquam per principium. Ita docuit in ea questione 8. §. *Ad questionem.* Cum vero ibi contendit probare, essentiam Angeli non esse principium ut seipsum intelligat, non vult excludere essentiam omnino à ratione principij, sed tantum monstrare, eam non esse totum principium intelligendi, sed ut ipse vocat parziale, ita ut cum intellectu integro constituat principium in angelo intelligendi seipsum: cuius oppositum immerito tribuit Sancto Thomæ: cum reuera illa nunquam senserit, essentiam angeli esse totum & integrum principium intelligendi seipsum: id quod nec Doctores citatos pro hac opinione nec vllum alium scio docuisse.

12. *Quid in hoc re sententiæ sit.*

Mihi vero hæc sententia difficilis est. Primum quidem quia mihi non habeo per suum id quod Caiet. contendit, nempe satis esse, ut aliquid sit principium intelligendi, si assistat intellectui, & ipsi non inhaereat. Quod enim non inhaeret, non potest esse principium determinans per modum efficientis: loquor de principio creato: nam essentia diuina posset, quamuis de facto ita non esse iam supra disputatione 43, cap. 3. & 4. ex professo monstrauimus. Deinde etiam si essentia Angeli coniuncta sit cum intellectu ipsius, imo sit subiectum intellectus: id tamen non sufficit, ut sit proprium & proximum principium intellectionis. Hoc enim modo solum erit principium commune principium, sicut est aliarum operationum: quare potius ego existimo intellectum, sicut etiam quamlibet aliam facultatem, esse principium proprium & propinquum determinans essentiam & substantiam Angeli, quam contra.

Quare ego hoc modo philosophar, ut essentia Angeli sit commune & remotum principium intellectionis sui, proximum autem intellectus:

ARTIC. II.

eaque coniunctio essentia cum intellectu nihil omnino conferat, ut essentia sit principium particulare in sui intellectione, quo determinetur efficacia communis intellectus; atque hoc libentius concederem quod videam non latè probum, esse necessarias species intelligibiles in Angelo ad alia obiecta intelligenda, nec sufficere facultatem intellectus ex parte principij efficientis & elicentis, & rem intelligibilem ex parte obiecti, quam respicere possit intellectus. Verum in rebus nobis obicuta, & à sensu remota hæc diuina sufficiat.

ARTICVLVS II.

Utrum vnus Angelus alium cognoscat.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod vnus Angelus alium non cognoscat. Dicit enim Philosophus in 2. de anima, quod si intellectus humanus haberet in se aliquam naturam de numero naturarum rerum sensibilibus, illa natura interius existens prohiberet apperere extranea. Sicut etiam, si pupilla esset colorata aliquo colore, non posset videre omnem colorem: sed sicut se habet intellectus humanus ad cognoscendas res corporeas, ita se habet intellectus Angelicus ad cognoscendas res immateriales. Cum igitur intellectus Angelicus habeat in se aliquam naturam determinatam de numero illarum naturarum, videtur quod alias cognoscere non possit.

2. Præterea. In libro de causis dicitur, quod omnis se intelligencia scit quod est supra se in quantum est causa eius. Sed vnus angelus non est causa alterius. Ergo vnus angelus non cognoscit alium.

3. Præterea. Vnus angelus non potest cognoscere alium per essentiam ipsius angeli cognoscentis: cum omnis cognitio sit secundum rationem similitudinis. Essentia autem angeli cognoscentis non est similis essentia angeli cogniti, nisi in genere, ut ex supradictis patet. Vnde sequeretur, quod vnus Angelus non haberet de alio cognitionem propriam, sed generalem tantum: similiter etiam non potest dicere, quod vnus Angelus cognoscat alium per essentiam Angeli cogniti, quia illud quo angelus intelligit, est intrinsecum intellectui. Sola autem Trinitas subsistenti. Similiter etiam dici non potest, quod vnus cognoscat alium per speciem, quia illa species non differt ab Angelo intellecto: cum vtrumque sit immateriale. Nullo igitur modo videtur quod vnus Angelus possit intelligere alium.

4. Præterea. Si vnus Angelus intelligat alium: aut hoc esset per speciem tantam: & sic sequeretur quod si Deus vnus

denotio crearet aliquem Angelum, quod non posset cognosci ab his qui non sunt. Aut per speciem acquisitam à rebus: & sic sequeretur, quod Angeli superiores non possent cognoscere inferiores, à quibus nihil accipiunt. Nullo igitur modo videtur, quod vnus Angelus alium cognoscat.

Sed contra est quod dicitur in libr. de causis, quod omnis intelligentia scit res, quæ non corrumpuntur.

Respondendo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 2. super Genes. ad lit. ca. quæ in verbo Dei ab æterno præexistenterunt, dupliciter ab eo fluxerunt. Vno modo in intellectum Angelicum. Alio modo, ut subsisterent in proprijs naturis. In intellectu autem angelicum processerunt per hoc, quod Deus menti Angelicæ impressit rerum similitudines, quas in esse naturali produxit. In verbo autem Dei ab æterno extiterunt; non solum rationes rerum corporalium, sed etiam rationes omnium spiritualium creaturarum. Sic igitur unicuique spiritualium creaturarum, à verbo Dei impressæ sunt omnes rationes rerum omnium tam corporalium, quam spiritualium; ita tamen quod unicuique Angelo impressa est ratio suæ speciei secundum esse naturale, & intellectuale simul: ita scilicet quod in natura suæ speciei subsisteret, & per eam se intelligeret. Aliarum vero naturarum tam spiritualium, quam corporalium rationes sunt ei impressæ secundum esse intellectuale tantum, ut videlicet per huiusmodi species impressas tam creaturas corporales, quam spirituales cognosceret.

Ad primum ergo dicendum, quod naturæ spirituales Angelorum ab inuicem distinguuntur ordine quodam, sicut supra dictum est. Et sic natura vnus Angelus non prohibet intellectum ipsius à cognoscendis alijs naturis Angelorum; cum tam superiores, quam inferiores habeant affinitatem cum natura eius, differentia existente tantum secundum diuersos gradus perfectionis.

Ad secundum dicendum, quod ratio causæ & causati non facit ad hoc, quod vnus Angelus alium cognoscat, nisi ratione similitudinis, in quantum causa & causatum sunt similia; & ideo si inter Angelos ponatur similitudo absq; causalitate, remanebit in vno cognitio alterius.

Ad tertium dicendum, quod vnus angelus cognoscit alium per speciem eius in intellectu suo existentem, quæ differt ab alio Angelo, cuius similitudo est, non secundum esse materiale & immateria-

Vazquez in 1. partem Tom. II.

le, sed secundum esse naturale & intentionale. Nam ipse angelus est forma subsistens in esse naturali; non autem species eius, quæ est in intellectu alterius angeli, sed habet ibi esse intelligibile tantum, sicut etiam & forma coloris in pariete habet esse naturale, in medio autem deferente habet esse intentionale tantum.

Ad quartum dicendum, quod Deus vnāquamque creaturam fecit proportionatam vniuerso quod facere disposuit. Et ideo si Deus institueret facere plures angelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles mentibus angelicis impressisset. Sicut si edificator voluisset facere maiorem domum, fecisset maius fundamentum. Vnde eiusdem rationis est, quod Deus adderet aliquam creaturam vniuerso, & aliquam speciem intelligibilem angelo.

Conclusio est; Quilibet Angelus alios omnes cognoscit per species rerum omnium spiritualium, quas ab initio habet in mente.

DISPUTATIO CCV.

Quo pacto vnus angelus alium cognoscat.

Vnumquemque Angelum per suam essentiam cognoscere alium quemcumque, nonnulli senserunt, cap. 1.

Vnum Angelum cognoscere alium per essentiam illius, alij alij dixerunt, cap. 2.

Sola virtute intellectus aut per speciem vnum Angelum ab alio cognosci probabilior opinio fert, cap. 3.

CAP. I.

Vnumquemque Angelum per suam essentiam cognoscere alium quemcumque, nonnulli senserunt.

Supponimus in hac disputatione id, quod contra contrarium esse debet, nempe vnum Angelum recte ab alio cognosci. Nulla enim videtur esse ratio, ob quam vnus Angelus se possit alteri Angelo celare. Nam quod inter homines vnus alteri notus non sit, multæ sunt causæ manifestæ. Homo enim earum rerum, quas cognoscit notitiam, accipit à sensibus: sensus autem indiget præsentia obiecti secundum locum, quæ à multis causis tolli potest: Angelicus vero intellectus non indiget loci præsentia ad intelligendum: quare & absentia, & præsentia, & præterita potest intelligere. Miror tamen, qua ratione Iustinus lib. 4. q. à gentibus Christianis postulat, quæst. 76. Iustinus. dixerit, Angelos & demones non se mutuo cognoscere & intelligere: id quod etiam docet Chrysostomus in Matth. in illa verba, Tunc reliquit eum, &c. cum asserit, Angelum voluntate sua fieri demoni inuisibilem. Quod si aliqua ratione verum est: non ex natura rei, sed ex Dei voluntate ortum habet. Deus enim recte potest impedire, ne demones Angelos bonos cognoscant. Contrauerfia igitur solum est de modo, quo vnus Angelus alium cognoscit. In qua re est aliqua Scholasticorum varietas.

Quidam dixerunt, vnum Angelum per suam essentiam.

Vu 2